



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Svmmvla Casvvm Conscientiae De Sacramentis**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

Antipharmacum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40295**

mere, adq̄ illa confessionem suam dirigere, & paucis expedire. Nam si praecepta Dei rectè inspiciuntur, reperitur in iis, quo pacto Deus à te in omnibus est proditus, contemptus & ad iram prouocatus.

In captiuit. Babylonica. Ego quidquid est circumstantiarum, consuluerim penitus contemnere. Apud Christianos una est circumstantia, quæ est peccasse in fratrem.

### Antipharmacum.

Hic iterum Lutherus egregium consultorem agit; quia perinde facit, ac si ægro suaderet, ne eas circumstantias, aperiret, sine quibus in morbi cognitionem Medicus peruenire nequit: nam qui generatim circumstantias omitti cupit, is illas quoque omitti cupit, sine quibus morbi species cognosci non valet. Quàm autem hoc consilium salutare accideret ægroto, tam salutare itidem accidit confitenti, si quis suadeat, ne vllas peccati circumstantias manifestet: sunt enim tales, quæ vel speciem morbi mutant; vel notabili additamento aggrauant, quas si Medicus ignorat, quo modo medicinam fructuosè adhibebit? Deinde pulchre admodum sibi constat Lutherus: paulò ante dixerat, satis esse, *ut quis generatim dicat, se in peccatis mortiferis harere*: Nunc percurri vult decalogum, ut quis dispiciat & annotet, in quæ praecepta deliquerit.

Quæritur XII. Num transgressiones contra leges humanas sint in confessione explicandæ. Respondet Lutherus in Colloq. potatoriis & culinariis, *Man sol einen grossen Unterscheid machen zwischen den Sünden/ die wider die Gebot Gottes / vnd Gesetz der Menschen geschehen seind. Dennoch die Gebot Gottes/ kan keine Sünde erkandt werden / aber an Menschen Gebot seyn wir mit nichten verbunden.*

*Similia tradit Lutherus lib. de ratione confitendi, præcepto decimo. Tom. 1. Lat. Viteb.*

Darumb wenn man beichten wil/so sol man nur allein die zehen Gebot für sich nehmen/ vnd sagen/wie man darwider gesündigtet habe.

*Magnum discrimen fieri debet inter peccata, quae sunt contra Dei praecepta, & quae sunt contra praecepta, & mandata hominum. Nam sine praeceptis Dei, nullum peccatum cognosci potest: mandatis vero & praeceptis hominum non alligamur. Quamobrem, cum confitendum est, ad praecepta Dei solum attendendum, & dicendum, quomodo contra haec peccata sine admissa.*

### *Antipharmacum.*

APOSTOLVS Rom. 13. iubet vt politicae potestati subimus, non tantum *propter iram*, sed & *propter conscientiam*: ne scilicet transgressione legum ciuiliū, conscientia laedatur: at non laeditur nisi per peccatum. Ergo & id, quod in leges humanas delinquitur, peccatum est. Si peccatum, ergo in confessione aperiendum: quia morbus est: Et sanari debet. Vt autem sanetur, oportet, vt à Medico cognoscatur.

Quæritur XIII. Vtrum peccata purè mentalia in Confessione manifestari debeant. Respondet Lutherus in Tractatu, quem vocat *Confitendi rationem*. *An peccata cordis occulta, ac sic soli Deo & homini, qui fecit ea, cognita, pertineant ad Confessionem Sacramentalem, extra medium captum est. Libentissimè negarem.*

### *Antipharmacum.*

CREDO equidem: cum enim non semel docueris, in cuiusuis arbitrio situm esse, vt quod velit in Cōfessione indicet; quod velit, supprimat; mirum non esset, etiamsi peccata occulta cordis à Confessionis tribunali ab-